

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hermann Lembke

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hermannus Lembke/ I.U.D. & Cod. Professor, Ad Gloriosissimum Jesu Christi Resurgentis Triumphum pie ac devote celebrandum, Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos Sedulo invitatur & exhortatur

Rostochii: Kilius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734939914>

Druck Freier  Zugang



Ru. Progr. 1653/2
Hermann Lethcke
Progr. paschal.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734939914/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734939914/phys_0002)



42

PROGRAMMA
QVO
RECTOR
Universitatis Rostochiensis
HERMANNUS Lemke/
J.U.D. & Cod. Professor,
Ad
GLORIOSISSIMUM
JESU CHRISTI
RESURGENTIS TRIUM-
PHUM
piè ac devotè celebrandum,
Omnes Omnia Ordinum Cives
Academicos
Sedulò invitat & exhortatur.



ROSTOCHII,
Typus NICOLAI KILI, Acad. Typogr.
ANNO 1655.



Riumphorum apud o-
mnes gentes pompa semper ingens
fuit , & summa solennitas. Enim-
vero post reportatam ab hostibus
victoriam reduces factos Imperato-
res , bellive Duces , victricibus co-
rollis , ovationibus , laudumq; pre-
coniis exceptos , statuis , obeliscis
palmaribus decoratos , solennibus
festis honoratos esse , non sacrarum
saltim sed & profanarum historia-

rum monumenta testantur. Ex illis constat, Gedeoni , Davidi , Sam-
soni Judaicam gentem acclamavisse epinicia. In istis Jasonis ex Col-
chide vellus aureum vendicantis fortitudo ; Herculis Ἀλεξανδρία &
monstrorum domitoris labores & victoriae deprædicantur ; innume-
ti item Romanorum triumphi celebrantur. Pompejus Magnus vi-
ctor omnium , quas adierat , gentium , Romam reversus , qvot pár-
tes orbis sunt terrarum , totidem fecit monumenta victoriae suæ.
De proscriptis Africanis triumphatorem , eqvorum loco , elephan-
tis usum esse , author est Plinius ; cuius magnificentiam Antonius su-
peraturus , Pharsalicā Victoriā tumidus , Leones currui triumphali
præfixit. Claudius , Græcis in potestate redactis , Romam , dirutā
mæniorum parte , albis Caballis vectus ; veste purpureâ stellulis di-
stinctâ , & intertextâ coronâ redimitus , manu dextrâ Pythiam tenens ,
Urbem ingressus , croco per plateas sparso , victimis cæsis , divini
numinis instar à populo adoratus est. Fabius Gurges de Samnitib-
us triumphans , eorundem Ducem Pontium Herennium ; Caius
Marius Jugurtham victos vincitosq; duxerunt , Romamq; intrantes ,
coronis victricibus cincti claruerunt. Quintus Flaminius victoriā
adversus potentissimum hostem , Philippum Macedonem , obtentâ ,
Thessaliam oppugnatâ , mille & ducentis civibus ex Achæorum pote-
state

late liberatis, prælatâ peltâ & sarissâ Macedonica triumphum famo-
sissimum egit. Augustus bellis civilibus externisq; magno labore
ac prudentia confectis & compositis, pacem terrâ mariq; obtinuit,
ac decernentibus Romanis, non humanâ, sed divinâ quadam reveren-
tiâ ac honore affectus est. Arcus triumphalis Tito Vespasiano, de
Judæis triumphanti, extructus, Romæq; propè Marcelli theatrum po-
situs, celebrior est, qvam ut memorari indigeat. Non tantum au-
tem hos ipsos omnes, sed &, qvi præterea nominari è Romulidum
gente poterant & merebantur, Papirios sc. Scipiones, Æmilios, Me-
tellos, Syllam, Lucullum, L. Sicciū siue Sicinum dentatum &c.
magnitudine & numero victoriarum Cæsar superavit; Qvi in Galliâ
bellum gerens, unico decennio (Plutarchus refert) eoq; nec dum ple-
no, Urbes octingentis plures cepit; populos trecentos subegit; cum
ter millies millibus hostium congressus, diversis præliis tertiam eo-
rum partem interfecit, superstites in potestatem redigit; ipsum etiam
Pompejum (cujus supra meminimus) Pharsalico prælio fudit ac vi-
cit; bellisq; tandem omnibus sine imposito, qvinquies, uti Suetonius
Author est, triumphavit. At vero qvemadmodum Cæsar cæteros,
sic ipsum vicissim Moses victoria ac triumpho antecelluit; transitu
nimis per mare rubrum, quo tot animarum millia liberata, tot
hostium millia submersa, & tandem populus Israeliticus, nube &
ignitâ columnâ ducibus, in terram promissam gloriosissime dedu-
ctus est. Cæterum si vel hanc ipsam etiam, & omnes præterea o-
mnium ætatum victorias, spolia, trophæa, cum hodierni diei festi-
vitate ac triumpho contuleris, vilescere continuo prima illa, & mi-
norum stellarum instar, majoris solis jubare obnubilari, imo, veluti
umbram, penitus evanescere sentias. Enimvero qvi hodie è mor-
tuis redivivus viator est, CHRISTUS JESUS, non orbem tan-
tum Universum, sed & orcum sibi subjecit, eisq; claustra perrumpens,
qvicquid erat infernalium exercituum, adeo profligavit, ut uno ictu
qvatuor validissimos hostes vicerit; peccatum, mortem, infernum,
mundi hujus Principem. Et qvidem triumphus hic eo est mirabilior
& rarius, qvod non Cataphractorum validâ manu, multisq; militum
Legionibus accitis, sed Servatore solo torcular calcante; non strata-
gemate, sed apertissimo Marte obtentus sit. Descendit solus; ascen-
dit & resurrexit magno beatorum agmine stipatus; qvos inter Ada-
mum.

mum etiam protoplastum fuisse, Epiphanio relatum est. Expedire
præclara adeo facinora nec Seraphim, Cherubimve, nec tota Ange-
lica Cohors; Imò verò nec Enoch coram Deo integritas, nec Noa-
chi justitia, nec Abrahæ fiducia, nec Mosæ sanctitas, nec Davidis pie-
tas, nec Salomonis sapientia valuit. Solus repertus est geminae sub-
stantię Heros, tam fortis hostium impetus sustinere, & iram Jeho-
væ sedare qui poterat. Solus hic miraculosam hanc victoriam sibi
vendicat, nec est qvisquam, cui vel tantillum laudis inde debeat. Achillem de hostibus triumphantem deprædicat Homerus, sed ita
deprædicat, ut insimul ad mortis præsagium exhorruisse,
annotet. Achilles noster mortem non modo non expavit, vel timuit,
sed eandem potius comminuit, contrivit & absorplit; idemq; pro
spoliis ac manubiis non arbuculam balsami, aut imaginem suam
geminis decoratam, ut Cn. Pompejus; non signa ærea, ut L. Mam-
mius; non exanime corpus Cleopatrae, ut Augustus; sed mortis spi-
cula, palmam pacis, omnesq; infernales cohortes in triumphum du-
cens, Osea illud inclamavit: Ero pestis tua, O mors! & morsus
tuus, O inferne! Huic itaq; victori & Redemptori nostro Abraha-
micum, Mosaicum & Israëliticum Epinicion accinamus: *Dextera tua,*
Domine, magnifica apparuit in fortitudine tuâ; *Dextera tua, Domine,*
percussit inimicos nostros. Postulat id paschalium horum dierum na-
tura, & solennissima festivitas; qvam ut rite ac legitime celebremus,
& vitram ei convenientem congruentemq; instituanus, tum omni-
um, ad qvos beneficij hujus sensus ac fides pervenit; tum eorum
vero præcipue interest, qui ex professo & studio peculiari, Christiana
pietati, honestati, virtuti & bonis literis operam suam addixerunt.
Consistit jam vero ista veri Christianismi, atq; hujus festi recte cele-
brandi ratio in duabus præcipue partibus, qvas ipse nobis Apostolus
comendat, cum in I. ad Corinth. cap. V. vers. 8. ait: *Festum celebre-
mus non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ & versutie, sed in
panibus fermento carentibus, h. e. sinceritate & fide.* Nimirum vult ve-
re à nobis, qui Christiani ut perhibemur, ita esse debemus, præsta-
ri, qvod in Paschæ Ceremoniis per umbram & figuram indicaba-
tur: ut, sicut illis, mactato agno, nefas erat, ullum fermentum domi
habere, à quo etiam, novo qvodam vitæ genere, totos septem dies
abstinebant; ita nos hodie, Christi sacrificii, semel peracti, partici-

pes facti , totam vitam in justitiae & integritate consumamus . Id autem fieri minime potest , si fermentum domi nostrae inveniatur , i. e. nisi & ipsi studeamus morum vitaeq; innocentiae , & contra omne impurum , criminosum , ac damnabile facessere a nobis jubeamus . Hec igitur duo a nobis quoq; reqviruntur hoc maxime festivo tempore , hujusq; temporis occasione , tota vita : Unum , ut omnem impietatem abnegemus , omnem nequitiae & malitia turpitudinem rejiciamus : alterum , ut veritatem doctrinæ sectemur , & Redemptoris nostri , in veritate & sinceritate ambulantis , vestigia proni adoremus , & alacriter , sine ullâ , quantum in nobis est , tergiversatione sequamur . Qui quidem ipse mortuus & sepulchro conditus est , secundum scripturam ; verum tertia die in vitam revocatus , morti deinceps non est obnoxius : ita & nos per baptismum sepulci sumus cum Christo in mortem , ut , veluti is a morte excitatus est per gloriam Patris , pariter ipsi etiam , a somno seu veterno , imo a morte vitiorum experrecti , in novitate vitae ambulemus . Rom . VI . Non defuerunt eqvidem omni ævo , qui gloriosem Christi victoriam cum Chiliaстis in sinistrum sensum detorquerent , vel cum Atheniensibus , ut est in actis Apostolorum , contemnerent ac irridenter ; nec desunt hoc seculo ab eo & improbi , qui Bacchi orgiis , & cotidianis Cyclopicis conflictibus , & bestialibus vociferationibus Paschalia sacra turbant . At horum pecculantiam & proterviam in primitivâ Ecclesiâ graviter & severè coercitam legimus . Rufinus sane de Philippo Arabe , primo Christiano imperatore , refert ; Eum ipsum ob neglectas vigilias paschales a Fabiano Episcopo à communione repulsum & ad publicam pœnitentiam agendam adactum fuisse . Imperatores quoq; piissimis constitutionibus suis hodiernam festivitatem paenit , quibus unquam poterant , maximis ab omni prophanatione vindicavere . Leo & Anthemius Amasio Praefecto rescripserunt ; Sacros hosce dies maiestati divinae dicatos , nullis volumus voluptatibus occupari ; nec ullis exactionum vexationibus violari : sileat horrida vox Praeconis ; advocatio delitescat ; certamina circensia , aliaq; lachrymosa ferarum spectacula cessanto . Theodosius Imperator , septem , qui præcedunt & seqvuntur Pascha , dies , sine strepitu peragi debere constituit . His adeo gravibus mundanorum Imperatorum , ex summi ac cœlestis Imperatoris mandato promulgatis Ordinationibus , lubentes & ovantes pareamus ; Eucharistica sacra & hostimenti

ta Palmaria Triumphantis nostro mactemus ; Thymiamata precum
pro salute utriusq; Reip. eidem offeramus ; trophæa syndone puræ
mentis involvamus, aromatibus pænitentiae inungamus, novo mo-
numento cordis defæcati includamus. Apud Ægyptios statuam
Sethonis in memoriam miraculosa Victoriae, contra Senacharibum
obtentæ, erectam fuisse Herodotus memorat, cum hac inscriptione :
in me intuens, pius esse dico. Germanos prælium ingressuros, Her-
culis simulachrum prætulisse, idq; intuentes, animos ad pugnandum in-
citasse, memoriæ proditum esse novimus. Nos militiam togatam pre-
cibus & pii meditationibus exercentes, armaturam, si quæ imminere
cervicibus nostris, aut cingeret nos queat, averttere satagentes, pacem
anhelantes, in Triumphantorem oculos animosq; majore confidentia
& spe certissimâ merito defigimus ; sangvine ejusdem pro nobis effuso
non domus postes, sed animarum parietes tingimus, omnino scientes
nos tali clypeo munitos adversus hostium insultus tutos & securos fore;
quoniam vel in medio inimicorum, & inter tripodes, ut Psalmista ait,
constitutos, placide dormituros, optatâq; pace fruituros esse. Ad
hanc militiam omnes, quotquot sub Academicis vexillis militant, se-
dulo & animitus cohortor: in primis moneo, ut hisce feriis non po-
pinas, in quibus vitiis desudalitur, sed Ecclesiæ, in quibus trium-
phale melos Redemptori nostro accinitur, frequentes invitant; non
ensibus aut frameis, sed piis votis & meditationibus confligant; prava
consortia devitent, periculosos congressus fugiant. Quæ enim cæte-
roqui non fermentata sinceritas foret, vino, vel liqvore quovis alio
corpus implere ad ambas usq; aures, & auræ divinæ particulam co-
obruere, vel & extingvere ? repletum & ebrium interdiu ambulare,
clamore vias incendere, quietem turbare, nec ægrotantibus quidem
parcere ? Lapidibus januas & fenestras incessere, gladiis primum silices,
deinde homines aggredi, pugnare ex provocatione, vel & sine eâ,
intra pomæria, extra pomæria ? sine metu, sine pudore, membro-
rum alienorum affectare mutilationem, suorum integratatem peri-
culo exponere ? ipsam adeo vitam in extremâ tegulâ, itmo in acie nova-
culæ, quod ajunt, positam, orco devovere ? Hæc, & hujus ge-
neris alia, forent profecto, si quidem (quod absit) committerentur,
ipsum illud vetus malitia & nequitia fermentum; quod nisi, contrariam

mod-

modestiae, probitatis, pietatis, & quārumvis aliarum virtutum viāti
(ad quām arripiendam paternē adeo jamjam adhortabamur) ingressi,
expurgaverimus atq; ejecerimus, nemo sibi persuadeat, solennitatem
hujus festi recte ac decenter celebratum, vel sinceritatis & veritatis
panibus non fermentatis locum facile concessum iri. Non enim sane
resurget in nobis novus homo, nisi vetus moriatur; non prodibit Spi-
ritus novitas, nisi mortua sepeliatur prius vetustas carnis. Verbo;
non erimus Cives Ecclesiæ triumphantis, nisi prius in hac vitâ milite-
mus bonam militiam, fidemq; & rectam conscientiam in sinceritate &
veritate retineamus. Quod ut omnibus nobis ac singulis contingat.

Saxit is, qui est ὁ μυητήρ των P.P.Rostochi sub Sigillo Rectorat

ipso paschatis die, qui est 15. April. Anni

1655.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734939914/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734939914/phys_0011)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734939914/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734939914/phys_0012)

DFG

ta Palmaria Triumphantori nostro mactemus ; Th
pro salute utriusq; Recip. eidem offeramus ; tro
mentis involvamus , aromatibus pænitentiae inu
numento cordis defæcati includamus. Apud
Sethonis in memoriam miraculosæ Victoriae , cor
obtentæ , erectam fuisse Herodotus memorat , cu
in me intuens , pius esse dico . Germanos præliu
culis simulachrum prætulisse , idq; intuentes , animo
citasse , memoriae proditum esse novimus . Nos in
cibus & piis meditationibus exercentes , armatura
cervicibus nostris , aut cingerenos queat , avertere
anhelantes , in Triumphantorem oculos animosq;
& spe certissimâ merito defigimus ; sanguine ejusq;
non domus postes , sed animarum parietes tingimus
nos tali clypeo munitos adversus hostium insultus
qvin vel in medio inimicorum , & inter tripode
constitutos , placide dormituros , optatâq; pace
hanc militiam omnes , quotquot sub Academicis
dulo & animitus cohortor : in primis moneo , ut l
pinas , in quibus vitiis desudalctitur , sed Ecclesia
phale melos Redemptori nostro accinitur , frequi
ensibus aut frameis , sed piis votis & meditationib;
consortia devitent , periculosos congressus fugian
roqvi non fermentata sinceritas foret , vino , vel
corpus implere ad ambas usq; aures , & auræ d
obruere , vel & extingvere ? repletum & ebrium
clamore vias incendere , quietem turbare , nec a
parcere ? Lapidibus januas & fenestras incessere , gl
deinde homines aggredi ; pugnare ex provocat
intra pomæria , extra pomæria ? sine metu , sin
rum alienorum affectare mutilationem , suorum
culo exponere ? ipsam adeo vitam in extremâ tegi
culæ , quod ajunt , positam , orco devovere ?
neris alia , forent profecto , si quidem (quod ab
ipsum illud vetus malitia & nequitia fermentum ;



the scale towards document

Universitäts
Bibliothek
Rostock